

de maturo nostrorum amicorum consilio nec non salutem animarum nostrarum et nostrorum progenitorum attendentes praedictum censum in villa dicta Merenwicz cum omnibus iurisdictionibus ac pertinentiis, quem ibidem habere dinoscimur, iam dictae ecclesiae sanctae Afrae in Misna appropriamus resignantes, dantes super praemissis omnibus et singulis hanc paginam sigillo nostro roboratam. Testes huius sunt dominus Otto dominus de Wythin, Waltherus dictus de Zeyrin, Vlricus dictus de Janspach, Jacobus Magnus dictus, et Johannes dictus de alece, cives in Dresseden. Actum et datum in civitate Dresden anno domini M° CCC° XXXII°. feria sexta vigilia Jacobi apostoli.

Nach dem Chartular. monast. s. Afrae I. fol. 19 und II. 58<sup>b</sup>.

No. 203. 1334. 4. Nov.

*Das Nonnenkloster zu Seuslitz überlässt dem Afrastifte das Dorf Mohlis und empfängt dagegen das Vorwerk Radewitz und Getreidezinsen in mehreren Ortschaften.*

In nomine domini amen. Ego soror Katherina de Donyn abbatissa totumque capitulum Suselyzensis ecclesiae seu monasterii ordinis sanctae Clarae tenore praesentium protestamur, quod accedente ad hoc licentia et consensu reverendi patris nostri fratris Wernheri de Appenberg ministri et visitatoris nostri ex certa scientia praehabita deliberatione matura inspectis meliorationibus eiusdem nostrae ecclesiae seu monasterii fecimus contractum permutationis seu emptionis cum venerabili domino domino Johanne praeposito et religiosus viris dominis regularibus canonicis ecclesiae seu monasterii sanctae Afrae in Mysna, modo et forma inferius annotatis, videlicet quod villam nostram Moldewitz<sup>a</sup>) dictam, undecim talenta denariorum Mysnensis monetae reddituum annuorum solventem iam dictis dominis praeposito et canonicis pleno iure dedimus perpetuo possidendam. Ipsi autem dederunt nobis pro eadem alodium sive praedium Raschzewitz<sup>b</sup>) nuncupatum cum universo fundo et pago suo et totalibus usufructibus in agris sex mansorum, vinea pascuis nemoribus virgultis et arbustis, et plane cum omnibus attinentiis suis cultis et incultis de iure vel de facto pertinentibus ad ipsum intra vel iuxta iacentibus ubilibet sive sitis, insuper decimas XXV sexagenarum frumenti et totidem avenae annis singulis perpetuo exsolvendae in villis inferius assignatis: in Jawirnitz de XIII mansis sex sexagenas cum dimidia siliginis et totidem avenae, in Biscopitz<sup>c</sup>) unam sexagenam siliginis et unam avenae, in Pozerwitz tres sexagenas siliginis et totidem avenae, in Colenkuwitz<sup>d</sup>) tres sexagenas siliginis et totidem avenae, in Boraswitz<sup>e</sup>) sex sexagenas siliginis et totidem avenae apud rusticos, in Deswitz<sup>f</sup>) quinque sexagenas cum dimidia siliginis totidem et avenae. Praefati autem domini praepositus et canonici nobis promiserunt de evictione sufficienter cavere, si aliqua inpetitio super dicto praedio seu super rebus vel bonis ad ipsum pertinentibus nobis contingeret ingruere undecumque. Insuper

<sup>a</sup>) Mohlis, Par. St. Afra. <sup>b</sup>) Vgl. No. 181. 182. 186. <sup>c</sup>) Gävernitz und Piskowitz, Par. Lenz. <sup>d</sup>) Porschütz und Kolkwitz, Par. Striesen. <sup>e</sup>) Proschwitz, Par. Zscheila. <sup>f</sup>) Döschütz, Par. Seuslitz. Vgl. No. 147 not n.